



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Thomæ A Kempis Canonici Regularis Ord. S. Augustini De
Imitatione Christi Libri Quatuor**

Thomas <von Kempen>

Coloniæ, 1723

XXXV. Quòd non est securitas à tentatione in hac vita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45773](#)

C A P U T XXXV.

*Quòd non est securitas à tentatio-
ne in hac vita.*

1. **E**ili, nunquam securus es in hac
vita; sed quoad vixeris, sem-
per arma spiritualia tibi sunt nece-
saria.

*Inter hostes versaris, & à dextris
& à sinistris impugnaris.*

*Si ergo non uteris undique scuto
patientiae, non eris diu sine vul-
nere.*

*Insuper si non ponis cor tuum fi-
xè in me, cum mera voluntate cun-
cta patiendi propter me, non pote-
ris ardorem istum sustinere, nec ad
palmarum pertingere beatorum.*

*Oportet ergo viriliter omnia per-
transire, & potenti manu uti adver-
sus objecta.*

*Nam vincenti datur manna, &
torpenti relinquitur multa mis-
eria.*

2. *Si quæris in hac vita requiem,
quo-*

quomodo tunc pervenies ad æternam requiem?

Non ponas te ad multam requiem,
sed ad magnam patientiam.

Quære veram pacem, non in ter-
ris, sed in cælis: non in hominibus,
nec in cæteris creaturis, sed in Deo
solo.

Pro amore Dei debes omnia li-
benter subire, labores scilicet & do-
lores, tentationes, vexationes, an-
xietates, necessitates, infirmita-
tes, injurias, oblocutiones, re-
prehensiones, humiliationes, con-
fusiones, correctiones, & despe-
ctiones.

Hæc juvant ad virtutem: hæc pro-
bant Christi tyronem: hæc fabricant
cælestem coronam.

Ego reddam mercedem æternam
pro brevi labore & infinitam glo-
riam pro transitoria confusione.

3. Putas tu, quòd semper habebis
pro tua voluntate consolationes spi-
rituales?

Sancti mei non semper habue-
runt
N 6

runt tales, sed multas gravitates, & tentationes varias, magnasque desolationes.

Sed patienter sustinuerunt se in omnibus, & magis confisi sunt Deo quam sibi: scientes quia non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam promerendam.

Vis tu statim habere, quod multi post multas lacrymas & magnos labores vix obtinuerunt?

Expecta Dominum, viriliter age, & confortare: noli diffidere, noli discedere, sed corpus & animam expone constanter pro gloria Dei.

Ego reddam plenissimè: ego tecum ero in omni tribulatione.

C A P U T X X X V I .

Contra vanæ hominum judicia.

1. **F**illi, jacta cor tuum firmiter in Domino, & humanum nemetuas judicium, ubi te conscientia pium reddit & insontem.

Bonum est & beatum taliter pati,
nec